maxime cum electionem inter bonos et notos habeam: Successuro liberum erit, pro sua voluntate disponere. Praefectus autem homo pessimus et vas mendaciorum ad D. Vicarium ipsa die S^{i} Jacobi se profecturum dixit; litteras illi nullos do neque credo. Praedicans ad dies circiter 15 cum Domino agit, adfuit mihi aliquoties, misit supplicationem propter redditus Bonnam, Scripsi et ego, rogatus ab illo et ab alys cum illo, Domino Schwendulio ut Serenissimo illum traderet et resolutionem apud Serenissimum urgeret, at responsi nihil obtinuimus. Dominica praeterita fluctuantes ad constantiam et perseverentiam unius Summum alterius Septimanae adhortatus fui, affirmans certo certius dominos commissarios interea temporis adventuros, et nisi fiet pertinaces insultabunt et catholici desperabunt. Utinam Serenissimus princeps et cum illo omnes, uti ego, totius rei ordinem intelligerent. Libros Reverendissimi Vicary remitto, citius per fideles homines mittendi occasionem non habui. Reverendissimo Vicario Reverentia Vestra scribat, et si aliquid certi habeat, per harum (literarum; das Wort fehlt im Texte) latorem quaeso verbulo rescribere non dedignetur; ego rarus sum in litteris, quia non omnibus illas credere tutum puto. Valeat Reverentia Vestra, mei et totius negotii memor. Datum Odenkirchen 24. July Anno 1627.

Reverentiae Vestrae humilis cliens Hen. Winterich,
pastor in Odenkirchen.

Winterich an den P. Georgius Schrettelius s. J. in Bonn, „Serenissimi Electoris nostri confessario, amico et patrono meo semper observando." Vom 24. Juli 1624.

(Winterich klagt auch diesem sein Leid, und bittet ihn, auf den Churfürsten einzuwirken, daß doch endlich eine Entscheidung getroffen werde.)

Infelicissimus ego in medio luporum derelictus ad vestram paternitatem scribere rursus compellor, praesertim cum videam alios, quorum tantum interest, mei penitus oblitos. Res nostrae Odenkirchenses miserrimo sunt in Statu, in diesque magis magisque animus obstinatis crescit et authoritas Serenissimi nostri vilescit, nec sine causa; arx in Odenkirchen bis occupata, mater hujus Dni longo tempore capta fuit, at haeretici triumpharunt. Quis ergo dubitabit, quin absque omni difficultate eodem modo

de uno desolato sacerdote brevi triumphare liceat? Haec vox pene omnium. Vicarius nihil mihi Scribit. abiens nihil assignavit, nihil dixit nisi Se brevi reversurum, Dominus hujus loci communicationem et media cum principe agendi proposuit, quibus illi adhuc firmiter inhaerent. Hinc animum et vires haeretici resumpserunt, et quia nihil in effectu sequitur, nihil secuturum sibi penitus persuadent. Ex pago Odenkirchen ultra 10 non veniunt ad templum, ex vicinis paulo plures, alio currunt et infantes baptizandos deferunt. Egerunt his diebus multum cum Battenburgh, Kettgen von geratzhoven et comita in bentheim; de consiliis aliud non intelligo, nisi quod rursum aliquos ad Vicarium in Eiffliam velint mittere. Pecunys nusquam parcent, 3500 Imperiales muto susceperunt. Fluctuantes praeterita Dominica ad perseverantiam unius alteriusve Septimanae adhortatus sum, affirmans interea temporis commissarios ad coercendos rebelles mittendos, quod nisi brevi fiat, omnes propter vexationes et minas e templo emanebunt et desperabunt. Praedicans, qui ad 15 circiter dies in arce agit, sperat se fructus hujus anni percepturum, et inter alios articulos expresse praeservatum audio, ut is hoc anno proventibus gaudeat; et quia me opposui, misit libellum Supplicem ad Serenissimum Bonnam. Ego rogatus ab aliis Sripsi cum illo, ne ego videar invidere iis, quibus Vicarius favere voluit. Non Spero tamen futurum, ut aliquid obtineat, et quia me unum omnibus oponere non volo, neque possum, Spero nos brevi responsum accepturos. Fructus in agris tenues sunt et ad expensas persolvendas insufficientes.

Quare et atque etiam obmisissime Reverentiam Vestram rogo, quatenus Serenissimo, si possibile sit, miserum Ecclesiae Odenkirchensis statum proponat, ut is tandem aliquando interposita authoritate aliquid certi definiat, jubeat, Statuat et exequatur; bonis nihil gratius evenire poterit. Spero, rogo, et interim inter haereticos nomen et dignitatem Serenissimi principis nostri pro viribus tueri conabor. Datum Odenkirchen 24. Juli Anno 1627.

Vestrae paternitatis Indignus cliens Henricus Winterich,
pastor in Odenkirchen.